

non debet prohiberi lectio Sacrarum literarum; quemadmodum hodie pro dolor! Pontificii Laicis lectionem earum in linguis vulgaribus denegant, ceu in *Proæmio* dictum, non secus hoc in partu se gerentes, ac coeci *Bramines* in India, qui *Vedam* suam, quod instar *Bibliorum* venerantur, vulgo exponere nolunt, vid. *Rogerus in det Offenem Thür zum Heydenthum* ap. *Tenzelium Coll. Menstr. A. 95. pag. 714.* sed maxime commendata omnibusque aliis rebus præferenda, ad minimum propter eos non planè negligenda. vid. *Andree Hyperii Tractat. de lectione scripturae*, quem, licet à *Reformato* Doctore profectum, maximis tamen meritò laudibus effert in *Præfat. novæ editionis Germ. celeberrimus Ulmensium Præsul Dn. D. Elias Veselius*, imprimis Lib. I. Cap. XXIV. seq. p. 236. seq, ubi objectiones Politicorum contra indefessam Scripturæ lectionem solvit, & omnibus hominum statibus necessariam esse Scripturæ S. lectionem diligentem, probat, descendens post *Clericos*, de quibus res patere videtur, Cap. XXXIII. ad *Reges & Principes*, Cap. XXXIV. ad *Aulicos & Nobiles*, XXXV. ad *Judices*, XXXVI. ad *milites*, XXXVII. ad *Jureconsultos & Medicos*, XXXVIII. ad *Mercatores*, ac operarios, XXXIX. ad *pueros & puellas*. Non terendum est tempus tractatione *fabularum* 1. *Tim. IV, 7.* inutilium ac *questionum stultarum*, *Tit. III. 9.* quorsum pertinet nimia librorum, meritò prohibitorum, lectio, de quibus conferatur *B. Morhof. in Polyhist.*: sed S. Scripturæ lectioni diligenter est insistendum, ut neque ulla negotia omnino inde nos abstrahant, quemadmodum ipse *Paulus*, manibus suis laborare interdum solitus, verbum *DEI* tamen tractare imprimis gaudebat; neque delectatio mundana lectionem planè impediatur. Et hac in re laudanda est *Judæorum* ab antiquis jam temporibus in legendo textu *V. T.* (utinam & in rectè intelligendo!) diligentia, qui *S. literas ita notas habebant*, ut, si modo unum aut alterum verbum indicassent, jam omnibus constaret, unde id desumptum esset, unde etiam *V. T.* in *Novo* sæpè citatur non nisi per has voculas: sicut scriptum est, notante *Matth. Flacio* in *Clavi* ad vocem *scribo*, Eò tendit illa sententia

tia